




PAVO ET TESTUDO

LECTIO SIMPLICISSIMA



Pāvōnēs pulchrae sunt avēs, quae bene saltāre possunt. Testūdō est parva bēstia quae testam in tergō fert et lentē ambulat. Testūdō pāvōnem, quī nōn procul ā lacū habitat, in herbā saltāre videt; nam testūdō quoque in illō lacū habitat. Itaque, «Salve,» dīcit, «pāvō optimē: multum cupiō tēcum in herbā saltāre!» Sed pāvō respondet, «Certē nōn bene saltās, ō testūdō: nam brevia sunt crūra tua. Quōmodo ergō saltāre potes? Et testūdō quae in pedibus posteriōribus stat rēs est ridicula!» Respondet testūdō: «Superbus es, ō pāvō, quia pennās pulchrās variōrum cōlōrum habēs. Sed vidēs? Mea quoque testa pulchrīs colōribus ōrnātur. Nec vērō mē dērīdēre decet, quia lentē ambulō: nam nōn sum tam vėlōx quam tū, sed nōnne bonum est lentē ambulāre?» Pāvō haec verba audit, et timet. Nam putat testūdinem trīstem esse quia is eam rīdet. Dīcit ergō, «Exī, testūdō, mēcum saltā: nam tē beātam fēlicemque esse cupiō.» Exit itaque illa, sed cum saltāre incipit, ecce vēnātor advenit (vēnātor est homō quī bēstiās rētibus capit et ēst). Itaque pāvō, quī vēnātōrem advenīre videt, ālās aperit et in altam arborem volat; testūdō vērō, quae īfirmīs pedibus lentē ad lacum currit, ā vēnātōre capitur. Hoc fābula nōs docet: dēbēmus omnēs laetī in eō locō manēre, quem nātūra nōbīs dat.

PENSA POST LECTIONEM SIMPLICISSIMAM

PENSUM A:

Respondē Latīnē hīs rogātīs.

- 1) Quid est testūdō?
- 2) Ubi habitat pāvō?
- 3) Cūr pāvō testūdinem rīdet?
- 4) Cūr testūdō ā vēnātōre capitur?
- 5) Quid nōs haec fābula docet?

PENSUM B:

Mūtā hās sententiās in numerum plūrālem.

(Exemplum: Vēnātor advenit. → Vēnātōrēs adveniunt).

- 1) Pāvō pulchra est avis, quae bene saltāre potest. →
- 2) Testūdō est parva bēstia quae testam in tergō fert. →
- 3) Testūdō lentē ambulat. →
- 4) Pāvō vēnātōrem advenīre videt. →
- 5) Testūdō ā vēnātōre capitur. →

PAVO ET TESTUDO

LECTIO SIMPLEX

Pāvōnēs pulcherrimī sunt volucrēs (volucris est animal quod volat), quī perītissimī sunt artis saltandī. Pāvōnem, quī nōn procul ā lacū quōdam habitābat, in herbā saltantem cōspicit testūdō, quae in eōdem lacū habitābat. Postquam eum vīdit, ergō, «Salve,» inquit, «pāvō optime: quam iūcundum sit tēcum in herbā saltāre!» Cui pāvō respondet, «Sed nōn crēdō tē bene saltāre posse: nam tam brevia sunt crūra tua! Vix ergō saltāre potes, putō. Et testūdō in pedibus posteriōribus stāns rēs est ridicula.» Ad haec verba respondet testūdō: «Superbum tē esse videō, quia pennīs variōrum colōrum ōrnātus es: sed mementō, quaesō, meam quoque testam pulcherrimīs ōrnātam esse colōribus. Nec autem modus ambulandī meus dēridērī potest: nam etsī nōn sum tam vėlōx quam tū, tamen melius est lentē festīnāre quam currere.» Postquam haec verba audīvit, timet pāvō, nam crēdit testūdinem propter verba sua trīstem esse; respondet ergō, «Exī, testūdō, sī mēcum saltāre cupis: nam tē beātam fēlicemque esse cupiō.» Exit igitur illa, sed cum saltāre incipit, ecce vēnātor (vēnātor est quī bēstiās rētibus capit et ēst). Itaque pāvō, vēnātōrem advenientem vidēns, ālis apertīs in summam arborem volat; testūdō autem, quae īfirmīs pedibus lentē in lacum festīnat, ā vēnātōre capitur. Ex hāc fābulā hoc appāret: dēbere nōs omnēs eō locō quem nātūra nōbīs dat contentōs esse.

PENSA POST LECTIONEM SIMPLICEM

PENSUM A:

Respondē Latīnē hīs rogātīs.

- 1) Quam videt pāvō?
- 2) Quid agit testūdō?
- 3) Num testūdō tam vėlōx est quam pāvō?
- 4) Cūr pāvō crēdit testūdinem trīstem esse?
- 5) Quis est vēnātor?

PENSUM B:

Scribe contrāria hōrum verbōrum.

(Exemplum: magnus ↔ parvus).

- 1) Currere ↔
- 2) Trīstis ↔
- 3) Lentus ↔
- 4) Beātus ↔
- 5) Posterior ↔

PAVO ET TESTUDO

LECTIO ORIGINALIS

Pāvōnēs pulcherrimī sunt volucrēs, et perītissimī artis saltandī. Quōrum ūnum, quī haud procul ā lacū quōdam habitābat, in herbā saltantem cōspexit testūdō, quae in eōdem lacū habitābat. Quō vīsō, «Salve,» inquit, «Pāvō optime: utinam tēcum in herbā saltārem!» Cui pāvō respondet, «At nōn tē aptam esse crēdō ad saltandum: tam brevia scīlicet sunt crūra tua, ut vix possīs saltāre, opīnor: testūdō in pedibus posteriōribus stāns rēs est rīdiculōsior.» Ad haec testūdō: «Superbum tē esse videō, quī pennīs variīs ōrnātus sīs: sed mementō, precor, meam quoque testam pulcherrimīs variātam esse colōribus. Quod autem ad gressum attinet, quamvīs nōn sim aequē gracilis ac tū, tamen festīnō lentē.» Quibus audītīs, veritus pāvō nē testūdinem verbīs suīs laeserit, respondet, «Exī, testūdō, sī vīs mēcum saltāre: quod fēlix faustumque sit.» Exit igitur illa, sed ubi in eō erat ut saltāret, ecce vēnātor. Cuius adventū pāvō ālīs passīs in summam arborem āvolat; testūdō autem valgīs pedibus in lacum currēns ā vēnātōre capitur. Unde manifēstum est, dēbēre nōs suō quemque locō contentum esse.

PENSA POST LECTIONEM SIMPLICEM

PENSUM A:

Scrībe synōnyma Latīna hōrum verbōrum (ea invenīre potes in tribus lēctiōnibus huius fābulae).

(Exemplum: pulcher = fōrmōsus).

- 1) Volucris, is =
- 2) Festināre =
- 3) Ālis passīs =
- 4) Cōnspicit =
- 5) Gressus, ūs =

PENSUM B:

Rescrībe hanc fābulam tuīs verbīs!

The original tale is from the collection
W. H. D. Rouse, *Latin Stories for Reading or Telling*, Basil Blackwell, Oxford 1935.
© 2019 Satara Lanx